

## DE APOZONALLI Succino Mexicano. Cap. I.

Tletic  
Succin.  
Mex. I.Quetzal  
Succin.  
Mex. II.Xochi-  
palizeli  
Succin.  
Mex. III.

<sup>Succino</sup>  
**I**Ta vocant Succinum nostrum, cuius duas indicat species. Alteram, que in flauum colorem magis inclinat, que vocatur *Tletic*, seu flammum *Apozonalli*. Alteram vero dilutiorem, quam *Quetzal Apozonalli*, seu plumam Succinum vocare solent. Ad huius genera videtur pertinere *Xochipalizeli* vocatus, lapillus luteus, & obscurus. quamquam ad Succinum potius, quem vocant coagulatum, aut Chalcidonium gemmam pertinere quispiam putare possit. Eadem cum Succino vires habere censetur.

DE CHAPOPOTLI Bitumine littoralis noua Hisp. Cap. II. <sup>Matto</sup> <sup>Chide prieto.</sup>

**M**inerale quoddam est *Chapotli* ex atro fuluescens, ab antiquis bitumen Iudaicum nuncupatum. Purpureo siquidem colore splendet, ac trifolij, *Asphaltinidis*, Rutæ, grauem quandam odorem spirat, & eiusdem facultatibus pollet. Septemtrionali scaturit oceano, & liquidum fluxum statim in huius Hispaniæ noua littora decurrit. In laminas cogitur, bina passuum milliaria quandoque longas; crassas vero, duas, tresue (vbi fors tulit) spithamas. Vili (tanta est eius in his regionibus copia) venditur precio. Utuntur eo mulieres Mexicanæ commanso, ac passim non sine voluptate quadam ore retento, ad extergendos, & nitori antiquo restituendos dentes.

## IO: TERRENTII LYNCEI NOTÆ.

*Plurima sunt Salium species, sed plures Bituminum creduntur, que secunda Natura parens, terraq. mariq. profundit partim; partim ex varijs artificiosa manus mixtis destillatione elicit. Simile quoddam huic littoralis Monardes cap. 3. describit, quod in CVBA fontes circa litus maris emittunt, quem Lector videre poterit.*

## DE CHIMALTOZATL, seu lapide speculari.

## Cap. III.

Gypsum  
Mex.Mezcuit  
lael. Tal-  
ch. Mex.

**S**pecies est *Chimaltozatl* lapidis diaphani, & candescentis, qui in laminas tenuissimas, numerolasque philuras facili opera dirimitur, vnde nomen. Est enim *Chimaltozatl* minerale candicans, & in laminas sectile, quod antiqui vocauerunt speculari. Combustum speciem gyphi præstat, pigmentiq. candido tingentis colore. Est & alius lapis huic non dissimilis, à Mexicanis *Mezcuitlatl*, seu stercus Luna vocatus, qui in præteritus quod fecari consuevit laminulas, ex aureo colore purpurascens, quæ quantumuis in igne commorentur, neque exuruntur, neque (quod dictu mirabilis est) incalescunt. Verùm de hoc fortasse alibi latius.

## DE COZTICTEPATL Cornerina Mexicana. Cap. IV.

**I**Ta vocant, quas nostri Cornerinas appellare solent, seu lapides luteos, aiuntque, cordis affectionibus sanandis magnopere inferuire. Quam facultatem, & cæteras omnes aliorum lapidum aiunt, Mexicanis ab Hispanis accepisse, cum ante aduentum eorum solum essent eis ornamentis, & lusus gratia, haud aliter ac aurum, aut argentum (si quod eo tempore erum erat) cochleæ, ac pennæ.

## DE EZTECPATLI Iaspide obscuriore no. Hisp. Cap. V.

**O**stendunt & aliam gemmam rubram, & obscuram, sed viridi colore maculatam, eamque vocant *Eztecpatli*, affirmantes, sanguinis obsistere fluxui. quam ego inter Iaspidis collocarem genera, et si Chalcidonia quadantenus videatur similis. Illa verò, quam *Ezteil* vocant, & eiusdem usus esse, asserunt, viridior est, & minus rubra, de qua in sequenti capite dicemus. Hæc verò magis rubra est, & minus viridis.

## DE EZTETL, seu Lapide sanguinis, Iaspide Mex. II. Cap. VI.

**V**irentis Iaspidis videtur species, sanguineis tamen guttis respersus. Iaspis ille *Ezteil* à Mexicanis nuncupatus. Aiuntque, alligatum metacarpo dynteriam compescere, aliasque sanguinis fluxiones. Sunt qui alligent collo, & puluerem eius naribus inspergant, fluente inde sanguine, aut cuius alteri, cui effusio contigerit.

*Lapidem sanguinalem vocat Monardes cap. 36. quod sanguinem vndevis suentem manu detentus, vel alligatus, vel in anulum conformatus, & gestatus sistat.*

## DE YTLIBAYOTEA QVETZALIZTLI, idest obscura smaragdo; ac Nephritico nuncupato lapide, Iaspide Mex. III.

## Cap. VII.

**E**st alia Iaspidis virentis species huic plagæ frequens, & vulgaris, sed albis cinereisve distincta punctis, quam *Ytlibayoteam Quetzalitzli* vocant, seu obscuram smaragdum. ad genus siquidem smaragdorū ipsi referunt. Aiuntque, brachio appensam, aut dolenti reni admodum, nephriticis mederi doloribus, renumque lapides frangere, vrinam euocare, cunctaque excrementa vrinam remorantia expellere. hæc tamen lege, vt dolore infestante dolenti loco admoveatur, quo sublato, metacarpo appendatur è directo renis affecti. Sic enim vrinæ vias emundando, lapidem conuari prohibet, vrenarumque cumulum tenaci compactum flegmate dissoluit, ac disgregat, atque per vrinam expellit. Hic varijs effigatus formis reperitur.

ritur. Nempe piscium forma, auium capitibus similes, p̄sitacivē rostris, ac plerique rotundi observantur spherularum instar, perforatique. Indi namque hos appensos gestare consueverant. Præfertur viridior, magisq. splendidus, lacteisq. punctis conspersus.

De hoc lapide Nephritico similia vide apud Monardem sub dicto titulo cap. 31.

De TLTLAYOTIC, colli, iliorumq. dolores sedante.

Iaspide Mex. IIII. Cap. VIII.

**E**T si non admodum dissimilis à prædicta specie reperitur alia species virentis Iaspidis, vocata ab indigenis *Thlayotic*, differt tamen pondere, colore, maculis, figuris, ac viribus, hic namque lapis grauior est, obscurioriq. viridi colore præditus, maculis (& non punctis, veluti prior) cinereis conspersus. Varijs etiam effigiatur figuris, nempe humana effigie, idolivē, nec non longa & rotunda columnarum modo, tum etiam plana rotunda, & quadrata, interdum rotunda spherularum instar. Qui saluam conspersus humana, ac aliquantisper manibus confricatus, umbilico, dolentivē loco appositus, colli iliorumq. dolores, flatibus expulsi per superna atque inferna, curat. tum etiam metacarpis alligatus, ac gestatus hosce affectus fieri prohibet. Sunt & alij lapides subalbidi, quos *Tzec payoquet z alizeli* vocant, ad viliorum smaragdorū differentias referendi, colicis quoque & thiacis viles. Alius quin etiam circumfertur lapis prædictis, meo quidem iudicio congener, sed virore longe dilutiori, aut cinereo, ac paucis viridibus distinctus maculis, ad Iaspides virides pertinens, aut smaragdos viliores, quem *Xoxouhquitepatl*, seu viridem capillum vocant. Huius nondum insignis aliqua dignoscitur facultas. His etiam venit annumerandus lapis virens, & ad prædictorum pertinens differentias, sed maculis obscurioribus respersus, quem vocant *Cuicuiltic tepatl*, seu depictum lapidem quantum in quibusdam partibus, magis translucidus, cuius nihil narrant insignes.

Yztepa-voquetzalizeli Smaragd. Mex. vilior.

Xoxouhquitepatl Smaragd. vil. I. I.

Cuicuiltic tepatl

De lapide Philippicarum Cap. IX.

**M**ittunt iam ad nos Philippicæ Insulæ, mira artificum opera, & spectanda alia, quæ sponte sua profert natura, de quibus pro dignitate dicere aliud opus. verum præter cæteras omnium generum gemmas ostendit nobis inter alias nauclerus quandam, casu, vt opinor, repertam, crystallina forma, candida, & translucida, sed in cuius medio agnus cyanei coloris, crucem gestans humeris mirando naturæ opificio, nisi hinc euentis prælagire iam fas est, cæleste euangelij præconium ad eas oras penetraturum, ac fortassis eius rei occasione eam adeo immensam orbis plagam subiiciendam imperio Philippi II. Regis inuictissimi, cuius iussu hæc scribuntur.

De

**De QUETZALXOQUYAC, seu pluma serida. Smaragdo viliori Mex. IV. fœtid. Cap. X.**

**S**maragdi generis est valde virens, *Quetzalxoquyac*, vile tamen, & minime translucidum, cuius puluerem restantur mederi vetustis plagis, ac præcipuè pudendorum. Nomen inuenit à fœtido odore, quem dum interpolatur, spirare solet.

De TLACVYLOLTECAPTL, seu lapide picto Cap. XI.

**C**andido lapillo similis est *Tlacvyloltecaptl*, sed purpureis maculis, coccineis, ac virentibus, translucidis, quem referunt, augere lac vberibus appositum, gestatumque, ac sui generis esse autumo.

De TLAPALTEHVIPLATE. Cap. XII.

**I**ta vocant Amethystum nostram, ac conferre aiunt renum, & vrinæ ardoribus, si renibus alligetur.

De TOLTECAYZTLI. Cap. XIII.

**T**OLTECAYZTLI, seu lapis nouacularis, varius, species habetur *Tzeli*, de quo sequenti capite, variata nigro, ac minij colore, cuius puluerem admixtum crystallo ferunt argemata discutere, acurevisum, & carnem eisdem supercrecentem absumere.

De YZTLI lapide Cap. XIV. Zinampo.

**C**ultri, quibus Indi videntur, nouacula, enses, pugiones, quamplurimam huiusmodi ad scindendum apta instrumenta, quibus quondam (nondum ferri vsu reperto) vt mos erat (è lapide patria lingua *Tzeli* vocato) solebant parari. Triplici hi colore distinguuntur, cyaneo scilicet, candenti, & nigro, etsi translucidi omnes. Fiunt ex eis apud Hispanos auro ornatis, atque argento, ara maximo in pretio habitæ, referentes (adeo sunt tersi, ac lucidi, si semel expoliantur, interpolenturq.) rerum appositarum formas mira perspicuitate. Effossi ergo & venis, quarum multas apud Mexicanos reperies, secantur in frustra mediocria, & suapte sponte angulosa, confricanturq. alijs asperioribus lapillis, vt mox eminenti ligni cuiusdam naso, pixidi vocati, areabazij haud absimili, lapide, vtriusque pedis digitis mausculis, incuruatis in latera cruribus, comprehenso, artifices quadam industria, ac impulsu mirabili, laminas crassiusculas excutiant, vtrinque quadam eminentiori planitie, binis dorsis, ancipitiq. insignes acie, ac spithamas plus minusuè longas, gladijs nostris paulo crassiores, &

Nouacule enses cultri ex lapide.

Ff 2 paulo



## De TLANEXILLO. Cap. XXII.

**T**LANEXILVM gummi lutei genus est, mollissimi, ac lubrici, quod saxis inuenitur adhærescens, ab insilienti sæpè verberatis vnda, pectoris asperitati, tussiq. vtilissimum. nec dissimile ab eo, quod è Poterio stillari solet. Sunt qui eiusdem rei causa addant *Tapachpatli*. Prouenit *Hocitlalpa*.

## De TLALYAC, seu terra fetida Myfi Mex. Cap. XXIII.

Tlalyac I.

Tlalyac II. Atramsum Mex.

**E**Ruuntur apud nouam Hispaniam Myseos, quod ijdem *Tlalyac* vocant, nostri verò ac Arabes *Zeg*, & *Zagi*, duæ differentia, altera forma terræ, sed laminulis argenteis, aut aureis interstincta, altera ad lapidis naturam magis accedens, nigraque. Ambæ sunt calidæ, & siccæ, & adstringentis naturæ, & acris gustus. Conficiunt ex eis indigenæ atramentum. quamquam idem è Thedarum fumo in fictilia excepto vasa, ac postquam in glebularum coactum est derafo, veluti antiquos etiam fecisse constat, solent interdum parare. Quandoque etiam eo medicamento Brasiliij colorem, est enim extra dubium antiquorum Myfi, aut illi veluti Chalcitis, & Pfori congener.

## De TLALXOCOTL, seu terra acida, &amp; Alumine Mex. Cap. XXIV.

**N**Ec venis aluminis noua caret Hispania. cumq. hoc orbi nostro scissile, rupcum, & squamosum cognita sint, item è vini fecibus, & herba, Kali vocata ab Arabibus, confecta, cuius herbæ quinque in nouo hoc orbe compertæ sunt mihi species, & quod de pluma ob similitudinem vocant, si modò id verum est alumen, & antiqui meminerint scissilis, nobis cogniti, rotundi, item & liquidi, nobis ignotorum, meritò dubitare aliquis posset ad quod aluminis genus Mexicanum debeat referri. At ego liquido potius, ac stillatitio, quam alteri cuiquam generi putauerim annumerandum, atque adscribendum, persuasus à parandi modo. Terunt siquidem in primis aluminosam terram, ac in magna quadam, ac rostrata fictilia profundunt, mox aqua effusa liquant. quod stillat vile est. Coquunt hoc quantum videtur expedire, sed priusquam in debitam duritiem percoquatur, in frustra parua diuiditur, discinditurque, & exquisitè coactum, venundatur in emporijs candens, lucidum, diaphanum, & acris, adstringentique, velut nostrum, sapore. Temperant illo pigmenta sua artifices, & coccineis adijciunt coloribus. Dentes adstringit, siccat, atque extergit vlcera, & excrescentem carnem exedit, abraditque. Vile est tinctoribus, & fullonibus, ac demum totidem vsibus, quòt nostrum accommodari potest.

De

## De TZATL, seu Sale. Cap. XXV.

**R**Eperies apud nouam Hispaniam omnia circiter salis genera, quæ in reliquo proueniunt orbe. Nam nec marinum *Tzaxalli*, nuncupatum, cum suo flore, & spuma, fluuiatile, lacustre, fontanum, aut puteale, deficit; neque in generando fossili fuit alibi liberalior natura. Quid? quod aliud insuper genus nõ paucis in locis è terra percolatur. Lymphis paratur, inferior reliquis, formaturque in crassiores placentas, nuncupatum patrio nomine *Tzayaboli*. Quid dicà de sale vocato Indo, quod Saccharum antiquorum esse constat, aut de Muria, Alatrone, & Alaxatro vocatis? qui sales sunt factitij, & familiarissimi omnes huic orbi. Naphtico tamen Amoniaco, quod etiam Compassi vocant, & similibus falsis venis (nostra, vt opinor, incuria non plagæ huius omnium ferè rerum feracissima culpa) nondum in hunc vsque diem adiuuentis? Omissisq. cæteris ad narrata salis genera attinentibus, de fontani gignendi modo non nihil adijciendum putauit. Generatur ergo ex quibusdam falsis fontium aquis, multis crumpetium locis, coniectis in cavitates quasdam arte paratas, salis generis optimum, humidioribus partibus à solis calore consumptis, reliquis verò ad naturam terream potius accedentibus, cū nonnulla aque portione coactis. Sal verò, aut nitrum, quod colligitur deradituræ ex aluco palustris, pluuijs cessantibus arefcente, vt à terrestri portione separetur, maceatur in primis ex aqua, ac residente terra liquata, tenuior pars cum lymphâ fluit per canales ad hydrias. è quibus desumpta in cavitates prædictas disperitur, vbi vi solis in salem coit.

Sal Fontanis no. Hisp.

## De TEQUIXQUILITL, seu Nitro Mexicano. Cap. XXVI.

**N**itri verissimi prouentu Haurac Arabibus vocati, Indis verò *Tequixquil*, haud vlli terrarum noua cedit Hispania. Verrunt id è terra arefcente lacu, aut è muris deradunt, antrifusè, roseum, ac candidum, plerumque leue fistulosum, & fragile, percolatumq. formam, & splendorem nostratis repræsentans. Quo fit, vt mirari subeat illorum sententiam, qui vulgare nitrum, quod liquandis, dissoluendisq. metallis inseruit, ac fert opem, tormentisq. bellicis plumbeas pilas excussuris, ab antiquorum nitro differre enixius contendunt, aut spumam nitri, quam in antris potissimum in spumæ formam, raram, & mirum in modum candescentem, & in specubus, alijsuè subterraneis meatibus conspicias, nesciant ab Aphronitro, quod mediam quandam nitri, & spumæ nitri naturam participet, distinguere atque separare, & contra ab Aphronitro Aphrolitrum diuersum esse contendentes. Nouæ ergo Hispaniæ è lacubus æstate arefactis veritur scopis, aut colligitur manibus nitri verissimi, & candidissimi Aphronitri in granula veluti vulgaris salis coacti, cetera non mediocris, ac in vsus reconditur. Abundat eo totus Mexi-

Mexicanus lacus. Paulò acrior vulgari sale est Nitri natura, sed adeo ei vicina, ut si crassiores particulas sæpius percolando separet, verissimum. sal fis è nitro extemplo habiturus. Additur quibusdam ferculis, & obsonijs iucundius, atque commodius ipso sale, nec tamen omnino similem præstat effectum. Siquidem non nihil adijcit grãtius, & extergit ex aqua, aut vino caput, amouetq. surfures, & alias sordes ei innascentis. roboratque, & exicat, eleuat ampullas, spumasq. non minus ipso smegmate, vocatouè sapone. Propinatur ab Indis Medicis permixtum alijs medicinis, quas iidem *Patli* vocant, frigidumque esse aiunt. Quo minus mirer Caphuram adeo mordentem, & quam celerrimè abeuntem in flammam, frige-factoriæ esse naturæ assertum à multis. nitrumq. in vinum, aut lympham coniectum. mirum in modum eos refrigerare liquores, ipsumq. grandinem, gelu, ac niuem in hac re præstare vincere. Emollit præterea Maitij spicas, aqua cui incoquantur additum, gratiamq. addit non mediocrem. Abluuntur eodem aqua inperfo, & perquam accommodè exterguntur crura, ac pedes, & tuetur ea à frigore, & fixuris ab eo consueta proficisci, corroboratio, & adstrictio quadam. Tineas, ophiastimè mirè curari accepti à medicis mulieribus, si caput nitrata vrina vehementer abluatur, extergaturque, & mox menstruo primiparæ ad eam rem referuato sanguine perungatur.

*Nitri usus in Germania, & Vngaria contra febriles calores, & lingue nigritiem, quam Prunellam vocant, ex caufa oriundam valde increbuit. Illud per se fundunt, vel momento sulphuris iniecto. Alij etiam salem ammoniacum addunt. huius placentulas typo efformatas, vel ore detinent, vel in aqua solunt, osque probe prae-colluunt, indeq. mirum sentiunt leuamen. Quin etiam hanc aquam per totum febris decursum loco Ptsiane, vel Oximellis bibunt, multumq. inde refrigerantur. Imo quandoque purgantur. Vnde non mirum quibusdam frigidum visum fuisse. Milites eius defectu Pyrium puluerem eodem successu ebibunt, in aqua solutum, vnde quandoque, & per inferna, & superna expurgantur. hec autem non tam frigori, quam acrimonia adscribendum esse, is negabit, qui salem communem, vel Ammoniacum, vel spiritum salis, vel vitrioli idem præstare nescierit.*

*In quouis Nitro salis puri aliquid separari norunt ij, qui Nitro ex terra conficiendo nauant operam. ubi cauendum ne lixiuum sapiat, vel amaritudinem coniunctam retineat.*

FINIS LIBRI DECIMI.



# ALIIARVM NOVAE HISPANIAE PLANTARVM

## NARDI ANTONII RECCHI IMAGINES, ET NOMINA IOANNIS TERRENTII LYNCEI

### NOTATIONE.

